



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Caput decimum quartum. Jesus fugit in Aegyptum, & post diuturnam moram redit in patriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

Isa. 8. 3, 4. *Et dixit Dominus ad me, Vo-  
ca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Fe-  
stina pradari: quia antequam sciat puer vocare  
patrem suum & matrem suam, auferetur for-  
titudo Damasci, & spolia Samaria coram rege  
Assyriorum.*

Isa. 60. 6. *Omnes de Saba venient, auram  
& thus deferentes, & laudem Domino annun-  
tiantes.*

venerunt puerum cum Maria matre ejus, & pro-  
cidentes adoraverunt eum, & apertis thesau-  
ris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus,  
& myrrham.

CAPUT XIV.

Jesus fugit in Ægyptum, & post diuturnam moram  
redit in patriam.

OSE. II. 1. *Ex Ægypto vocavi filium  
meum.*

MATTH. 2. 14, & seq. *Qui (Joseph)  
conspurgens accepit puerum, & matrem ejus no-  
ste, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque  
ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod di-  
ctum est à Domino per Prophetam dicentem,  
Ex Ægypto vocavi filium meum. . . . . Defun-  
cto autem Herode, ecce Angelus Domini appa-  
ruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Sur-  
ge, & accipe puerum & matrem ejus, & va-  
de in terram Israël; defuncti sunt enim qui  
querebant animam pueri. Qui consurgens ac-  
cepit puerum, & matrem ejus, & venit in  
terram Israël.*

CAPUT XV.

Infantium cædes ab Herode perpetrata.

JEREM. 31. 15. *Hæc dicit Dominus: Vox in  
excelsis audita est lamentationis, luctus, & fle-  
tus Rachel plorantis filios suos, & nolentis  
consolari super eis, quia non sunt.*

MATTH. 2. 16, & seq. *Tunc Herodes vi-  
dens quoniam illusus esset à Magis, iratus est  
valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant  
in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à  
bimatu & infra, secundum tempus quod ex-  
quisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod  
dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem,  
Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus  
multus, Rachel plorans filios suos, & noluit  
consolari, quia non sunt.*

I. MEMORABILE est, & ad fidem Evangelicæ Historiæ conciliandam  
peropportunum Augusti dictum, de Herodis sævicia in Judæorum infan-  
tes, ipsumque adeo ejus filium, quod refertur à Macrobio. *Cum audisset, inquit, in-  
tra pueros, quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque  
ejus occisum, ait, Melius esse Herodis porcum esse quam filium. Filius ille Herodis inter pue-  
ros Judæos Bethlehemitas à patre interfectus, ecquis tandem fuerit, varie est ab eru-  
ditis disceptatum. Baronius, aliique censent fuisse eum infantem recens natum, jussu  
patris cum aliis interfectum, ne is foret ad quem, ex Magorum vaticinio, regnum Ju-  
dæorum esset perventurum, ejus mentionem fuisse prætermittam à Josepho, quem alias  
res complures memoria dignas silentio quoque pressisse constat, velut Jobi historiam  
& Piscinæ ad Probaticam portam, cujus præter Johannem Benjamin quoque memi-  
nit in Itinerario. Hanc opinionem merito refellit Casaubonus. Opinatur Grotius  
duas historias in unam confudisse Macrobius, alteram de Berhlehemitarum infan-  
tium cæde, quam ex libris Christianorum, Christianus fortasse & ipse acceperat;  
alteram de cæde Antipatri à patre Herode interfecti: cujus opinionis argumenta pro-*

Expenditur  
locus Macro-  
bi de dicto  
Augusti, cum  
Herodis filium  
inter Berhle-  
hemiticis in-  
fantes occisum  
acceperat.  
Macrobi. Sat.  
libr. 1. cap. 4.  
Baron. ad A. 1.  
cap. 50.  
Casaub. adv.  
Baron. Exercit.  
1. cap. 16.  
Grot. in Matth.  
2. 16.